

teris graecis Marium informaret. Anno M.CCCC.LXXXXII. jam annos quatuordecim natus, publice oravit Marius tam alacri animo & firmo, ut pater id illi per epistolam gratularetur (a). Gratulor tibi, & mihi gaudeo, quod in ista celeberrima urbe, frequentique hominum conventu, his paucis diebus, tam constanter & venuste, quam ipse volebam; peroraveris, deposuerisque vel una actione non obscurum futurae virtutis rudimentum. Significavit id mihi Bonfinius noster, satis quidem tuarum laudum, sed magis, ut puto, veritatis amicus, etc. Aliis literis (b) cum Bonfinio conqueritur & graviter expostulat, quod Marium musicis artibus dare operam jusserit. Quando hoc me tibi mandasse putas, ut filium lyrae admoveres; ut indecoro ad alienas mensas statu illum parasitum effingeres; turpi & molli motu ad alienos modulos histrionem? Marium habuit auditorem Bonfinius, quoad iterum ex Italia in Ungariam migravit (c), illuc a Ladislao vocatus, apud quem haud minoris fuit exultationis, quam apud Corvinum, cui ille successerat.

(a) *Epist. lib. II.*
 (b) *lib. III.*
 (c) *Ibid.*
 (d) *Ibid.*
 Haud reticendum, qua usus arte est Sabellicus, ut filium ad eminentiorem graecarum literarum scriptionem alliceret. Pollicetur illi (d) in singulos Homeri libros nummos argenteos septenos: verum ea lege, ut si quid in apicibus, literis, syllabisve fuerit erratum, nihil harum impune feras, sed quoties incuria peccaveris, marciano argenteolo mulsteris. Praeterea illi mandat, ut singulis mensibus binos Homeri libros integros manu sua exscriptos ad se mittat.

(e) *Epist. lib. VI.*
 (f) *Lib. VIII.*
 A Bonfiniano gymnasio filium Sabellicus Patavium misit anno M.CCCC.LXXXXIII (e), ut illo in Lyceo operam navaret philosophiae. Quadriennio studiis philosophicis impenso, traduxit illum ad studia pontificii juris, quod testantur parentis literae (f) ad Senensem Cardinalem. Is (Marius nempe) magnopere ab ineunte aetate, nunc vero maxime ad sacerdotium anhelat; & jam hoc nomine quatuor annos dedit philosophiae operam Patavii: mox pontificio juri daturus, ut non tantum moribus, sed ingenio quoque ad cultam pietatis instructior accedat. Verum cuncta haec non effecere, ne falleret nothus iste spem omnem expectationemque patris, a quo in omnibus degener fuit.

1504
 Annus jam sextus erat a prioris *Enneadum* partis editione, scilicet annus M. D. III. cum posterior pars prodiit, quam auctor Leonardo Laurerano inscripsit, qui jam ab anno M. D. I. ad patriae principatum ascenderat. Hoc autem anno decrevit Sabellicus finem *Enneadibus* imponere: sed ea quae, ipso Duce, per subsequens triennium praeclare a Venetis gesta sunt, effecere, ut mutato consilio, usque ad annum M. D. III. illas perduceret. In *syllabo Urinensium scriptorum*, quem ad Vossium miserunt (g), memoriae traditum est, Coccianam historiam usque ad annum M. D. XIII. esse protractam: quod tam falsum puta, quam certum est, ipsum e vivis jam aliquot annis ante decessisse. Pars haec posterior libros undetriginta complectitur, duos videlicet supra tertiam *Enneadem*. Primum ipsa Venetiis prodixit per Magistrum Bernardinum Vercellersem anno M. D. III. die XX. octobris in fol. *Universarum Enneadum* complures deinde impressiones secutae sunt cum Venetiis, tum in Gallia & in Germania: duas placet hic enumerare, in folio utramque: alteram Lugduni, in aedibus Nicolai Petit, & Hectoris Penet consortium, 1535. alteram Basileae in duo volumina digestam, in quibus omnia ferme au-

(g) *De biblior. latin. lib. III. p. 670.*